



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

X. Directè ostenditur, auxilium efficax necessarium ad singula
supernaturalia opera, non posse confistere motione, vel qualitate
prædeterminante physicè in actu primo voluntatem ad consensum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

set, quia hoc commune est actibus malis, & ita malus actus tribuendus esset Deo. quod (inquit) *neque est dicere*. Est ergo regula constans in doctrina Augustini, efficaciam illam, ob quam boni actus specialiter tribuuntur Deo, non esse ponendam in aliqua effectione, vel motione Dei ex genere suo communi bonis actibus & malis: concursus autem causæ vniuersalis & præuius efficax, si datur, communis est, seruata proportionem actibus malis & bonis. Non igitur recte nec conclusione ad doctrinam Augustini ponitur illa efficacia auxilij gratiæ, in sola ratione & necessitate vniuersalis concursus. Huc accedunt rationes præcipuæ sumptæ ex libertate auxilij ad actus gratiæ, tam quoad specificationem, quam quoad exercitium, quæ per illum modum efficaciam destruitur, simulque sufficientia auxilij talem efficaciam non habentis à medio tollitur, quas rationes in capitibus, sequentibus prosequemur, explicatio prius alio principio, seu modo fundandi hanc sententiam.

Alij ergo hoc genus auxilij efficaciæ prædeterminantis physicè requirunt, non ex indigentia concursus præuij vniuersalis omnibus actibus, sed ex peculiari necessitate inuenta in operibus bonis voluntatis. In qua etiam sententia est varietas: nam quidam existimant necessitatem hanc non esse per se ex vi, & natura supernaturalium actuum, sed esse quasi per accidens ortam ex peccato originali, & corruptione lapsæ naturæ, & ita censuerunt Gregorius & Capreol. in 2. d. 28. ad 12. argum. Qui proinde non solum ad supernaturales actus, sed etiam ad quoslibet bonos morales ordinis naturalis illam præmotionem specialem Dei requirunt, non tamen in omni natura, vel in omni statu, sed in natura humana lapsa. Sed de hac sententia nihil denuo vel peculiare dicere necesse est, tum quia non pertinet ad verum auxilium efficax, quod ad omnes & singulos actus pietatis in omni creatura intellectuali, & in omni statu eius necessaria est, ut cap. 3. declarauimus, tum etiam, quia sine ulla ratione, vel fundamento requirit talem motionem ad singulos actus naturæ lapsæ, præsertim ordinis naturalis, si per se non est talis necessitas in omni statu liberæ naturæ, ut latè in lib. 1. declaratum est, & probatum. Tum denique, quia multo minus potest hoc modo ratio reddi cur propter naturæ lapsæ corruptionem tam efficax prædeterminatio necessaria sit, si alioqui non erat per se necessaria, nã ad supplendam debilitatem & infirmitatem lapsæ naturæ in bene operando & liberè sufficit addere vires illam infirmitatem supplentes & adiuvantes, etiam si non prædeterminent voluntatem, sicut in statu innocentie ex eorundem authorum sententia erant vires sufficientes sine prædeterminatione. Fateor tamen me non legisse in illis authoribus quoddam expressè asserant præmotionem illam talem esse, ut omnino ac physicè prædeterminet voluntatem, ita ut voluntas pro sua libertate non possit ei resistere, solum enim aiunt liberum arbitrium in natura lapsa sine illa motione bene operari non posse, non tamen dicunt cum illa non posse non operari: videtur autem id sequi ex eorum dictis, & ideo in lib. 1. quoad utramque illam sententiam impugnauimus, & quo ad secundam partem, quæ huc spectat, à fortiori impugnabitur, simulque cum

9. Auxilium modernorum sententia. Alio igitur modo ac fundamento asseritur necessitas talis auxilij per se efficaciæ ac prædeterminantis ob peculiarem difficultatem actuum supernaturalium, quam rationem defendit Aluar. disp. 24. n. 37. & videtur loqui de speciali difficultate quæ nascitur ex statu naturæ lapsæ, nam allegat D. Thom. 1. 2. q. 109. art. 9. in ratione secunda, quæ de hoc statu peculiariter procedit. Sic autem ratio non sufficit,

quia gratia efficax, ut supra dictum est, in omni statu requiritur. Item, quia ad singulos actus pietatis est necessaria, quod non nascitur ex statu, sed ex natura talium actuum. Ex illa ergo sumendum est fundamentum hoc, quod potest in hunc modum explicari; quia tanta est eminentia actuum supernaturalium, ut ad eos voluntas nostra ex se sit omnino impotens, & ideo indiget supernaturali virtute, per quam totam vim agendi recipiat, ergo illi non sufficit habitu alius virtus, sed quousque in actum prodire debet, indiget peculiari & actuali elevatione, quæ non potest fieri nisi per peculiarem motionem prædeterminantem; quia si motio non sit prædeterminans, non erit actualis, nam ex se potest esse sine actuali operatione, ac subinde per modum habitus, & tunc indigebit potentia alia præmotione actuali ut eleuetur, & ne procedatur in infinitum sistendum est in tali motione, quæ & de supernaturalem virtutem propriè efficiendi actum supernaturalem, & simul illa eleuet, ut illam operari faciat efficaciter, quia alias erit necessaria alia præmotio ut voluntas inchoet suum consensum, cum voluntas ex se non possit illum in supernaturalibus inchoare.

Hoc fundamentum non inuenio ita positum, vel explicatum in defensoribus huius prædeterminationis, insinuat tamen ab eis in aliquibus rationibus, & argumentis suis, ut infra videbimus. Atque ita fundamentum hoc reducitur ad hanc rationem Theologicam, quia actus liberi gratiæ sunt supernaturales in se, ergo non possunt fieri à voluntate nisi eleuata per motionem actualem eiusdem ordinis ad physicè agendum, & inchoandum efficaciter actum. Et confirmatur nam hoc maxime vrget si verum est quod nos asserimus, voluntatem in his actibus operari ut instrumentum Dei, nam instrumentum non agit nisi motum, & dum mouetur non potest in sensu composito non moueri, & hoc est prædeterminari. Huc verò rationis fundamento adduntur omnia Scripturæ testimonia, in quibus soli Deo, cuiusque voluntati, aut gratiæ, vel motioni hi actus tribuuntur, & Concilia ac testimonia Patrum, præsertim Augustini & D. Thomæ, sed hæc omnia distinctius proponuntur sigillatim in variis capitibus edita, & ideo illa nunc omitto, & ad iudicem de hac sententia ferendum accedo.

CAPVT X.

Directè ostenditur, auxilium efficax necessarium ad singula supernaturalia opera, non posse consistere in motione, vel qualitate prædeterminante physicè in actum primo voluntatem ad consensum.

Do asseruntur in sententia relata in capite præcedenti, vnum est auxilium in actu primo prædeterminans voluntatem esse possibile simul cum usu libertatis: aliud est illud esse necessarium ad singulos actus. Nam illud prius supponitur, ut fundamentum fidei non destruat, hoc vero posterius additur, quia alias per illud auxilium prædeterminans non explicatur adæquatè ratio auxilij efficaciæ, cum hoc ad singula opera necessarium sit, ut supra vidimus. Ex illis verò duobus scilicet, ut magis rigorosum, magisque restrictum est, nec potest subsistere sine primo; & contrario verò primum punctum ex hypothesi posset subsistere

stere sine posteriori, id est, licet esset verum posse saluari sine secundo, quia quod est necessarium etiam est possibile, non verò est conuerso, & ideo prius de hac posteriori parte illius sententiae dicendum est, in qua omnes auctores qui putant illam determinationem libertati repugnare, à fortiori tenent auxilium hoc efficax non esse necessarium: illos autem referemus in sequenti capite. Ex Theologis autem Dominicanæ familiæ refertur Ioan. Vincenzi. docuisse tale auxilium efficax per se spectatum, ac subinde auxilium efficax per se spectatum non esse in sola prædeterminatione physica positum. Hæc igitur sententia probanda in præfenti est.

Ut autem rationes firmitus procedant & tergiversationibus, ac subterfugiis minus expolitæ, hinc operæ pretium esset de isto auxilio prædeterminante omnia inquirere, quod de præiudicio concursu in lib. 3. à c. 30. tractauimus: sed quia id nimis esset prolixum, lectori committimus, ut ea omnia relegat, & ad hoc auxilium cum proportionem applicet, vnicuique enim mediocriter intelligenti id erit facillimum. Nunc ergo supponimus ex communi consensu auctorum illius sententiae, hoc auxilium esse aliquid supernaturale à Deo solo infusum, quia non est actio vitalis ipsius hominis, sed tantum passiuè in eo recipitur, ut per illud operetur. An verò illud auxilium sit qualitas, vel motio pura, parum refert ad puncta theologica, vel dogmata fidei, dummodo supponatur esse vera entitas creata, & homini inhaerens, id enim præcipuè in hac sententia supponitur. Consequenter autem loquendo longè probabilius illud auxilium esse qualitatem, quia motio spiritalis sine termino spiritali intelligi non potest, qui terminus non potest esse nisi qualitas, ut dicto loco probatum est. Addimus præterea qualitatem hanc, seu entitatem poni in re ipsa distinctam, & à subiecto, in quo recipitur, quia est aliquid ordinis supernaturalis, & ab omnibus gratis excitantibus quæ sint actus vitales, quia illis additur, ut fiant efficaces, & ab habitibus infusis, ob eandem rationem, quia illos reducit de potentia in actum, & ab ipso consensu libero voluntatis, quia ponitur, ut sit vera causa realis eius. Quanta vero sit hæc distinctio, an perfectè realis, vel tantum secundum quid, & modalis, metaphysica quaestio est, in qua immorari non oportet, quia ad dogmata fidei, & veritatem Theologicam, quam inquirimus, parum refert. Consequenter autem loquendo verius ac clarius ponitur tale auxilium, ut propriam entitatem ac realitatem habens omnino realiter distinctam tam à potentia, quam ab aliis gratis prioribus, quæ in potentia supponuntur, quam etiam ab actu libero eliciendo à potentia, cum tali auxilio, sicut de præiudicio concursu dictum est.

Item supponimus auxilium recipi immediatè in potentia, quæ elicit actum, propter quem datur, ut si datur ad fidei assensum eliciendum, infunditur intellectui; si vero ad habendam voluntatem credendi, vel amoris, aut penitentiae actum, & similis voluntati, erit immediatè imprimendum; quia in illa suum proximum effectum habeturum est.

Et in hoc conueniunt dicti auctores, imò quia determinatio propriè dicta voluntati attribuitur, ab illa pendet omnis alia operatio humana, ideo simpliciter hoc auxilium attribuitur voluntati. Disputari autem potest, quando voluntas habet habitum infusum, an vna motio imprimatur habitui, & altera voluntati. Nam Ledesma, & alij ita sentiunt, quia putant auxilium hoc esse concursum præiudicium necessarium vnicuique principio creato, seu qualitati permanenti ex subordinatione ad causam primam. Supponendo autem non postulari hoc concursum causæ primæ, sed ut dat vires causæ

proximæ, & potentia in qua recipitur, non oportet multiplicare auxilia efficacia ad eundem actum liberi concursus, vel amoris, etiam si ad illum actum plures qualitates concurrunt, scilicet voluntas & habitus, nec etiam oportet fingere dare speciale auxilium coniunctum habitui in eadem potentia, & illam efficaciter determinans.

Vnde tandem supponimus, hoc auxilium esse quendam actum formalem ipsius voluntatis, quia inhaeret illi, ergo informat illam, & reducit illam de quadam potentia passiuæ in actum. Nam priusquam voluntati infundatur hoc auxilium, est potentia receptiua, & capax illius, & caret illo: ergo est in potentia ad illud, ergo quando infunditur, reducit in actum, sicut mobile per motum, vel sicut materia per formam. Hic autem actus non est actus secundus voluntatis, quia ab illa non elicitur, ut dictum est; ergo est actus primus, quia non datur medium. Constituitur ergo voluntas per hoc auxilium in actum primo completo ad eliciendum suum actum. Atque ita licet voluntas habeat habitum infusum, non habet iuxta hanc sententiam actum primum completum, sed exspectatur hoc complementum, ut sit integrum principium proximum talis actus. Si autem voluntas careat habitu, vel addendum est aliud principium, quod suppleat vicem habitus, vel tale erit hoc auxilium, ut propriam actiuitatem afferat, & vicem habitus simul supplere possit.

Non desunt tamen ex auctoribus illius opinionis, qui in hoc tergiversentur, negando hoc auxilium dari, ut actum primum, vel ut complementum virtutis causæ proximæ, quia non distinguunt hoc auxilium à concursu præiudicio, de quo ita sentiunt. Sed, ut vidimus dicto lib. 3. cap. 33. etiam de ipso concursu præiudicio id non satis consequenter, virtutis causæ vel probabiliter dicitur, & multo minus potest in præfenti applicari, cum iam rationem concursus excluderimus, & supponamus hoc auxilium postulari propter defectum virium causæ proximæ. Et sanè in doctrina Augustini negari non potest, quin hoc auxilium, si datur, maxime detur, ut det vires voluntati. Nam in eisdem locis, quibus dicti auctores vtuntur, ut nobis persuadeant hanc esse sententiam Augustini, aperte siue ille docet, per hoc auxilium dare Deum vires efficacissimas voluntati, lib. de Grat. & liber arbitrii. c. 17. & aliis locis efficacia huius gratiæ tribuit nostrum consensum in omne bonum, quia & facit nos velle, & facere. Non est ergo dubium quin hoc auxilium sit actus primus dans vires agendi voluntati, & cum illa simul efficiens actus eius tanquam principium eorum, quod etiam de propria, & physica efficientia omnes dicti auctores intelligi volunt.

Sic ergo explicato hoc auxilio, quod non sit simpliciter necessarium ad singulos actus pietatis, duobus modis probari potest, scilicet ostensiuè, seu directè, & ab inconuenienti & indirectè. Prior probatio ex illo principio sumi potest, quod nihil est postulandum, aut asserendum, ut necessarium, quod sufficienti ratione, aut merito non ostendatur necessarium: sed in præfenti quomodo nullo modo potest necessitas huius auxilij sufficere ostendi; ergo. Maior est in philosophia receptissima, quia natura nihil facit frustra, & ideo vera Philosophia non permittit multiplicare res, quæ tantum propter usum dantur, nisi ad talem usum probentur necessaria, vnde est axioma receptum, Frustrà fit per plura, quod potest fieri per pauciora. Et simili ratione diximus in lib. 3. concursum præiudicium non esse credendum nisi probetur necessarium; quia verò in Theologia, quæ auctoritate diuina & sacra nititur, satis esse debet necess.

Alia suppositio.

Auxilium dari ut actum primum, vel ut complementum.

Istod auxilium non est simpliciter necessarium ad singulos actus pietatis.

necessitatem auctoritate probare, licet ratione non conuincatur, ideo contrario modo applicanda est illa maior propositio ad Theologicum institutum, quia in mysteriis supernaturalibus nihil affirmare possumus ut necessarium, nisi quod ut tale reuelatum est, vel in reuelatis continetur, vel ex iis probabiliter ducitur: aut certe ad alia reuelata explicanda, aut defendenda est aptius, magisque accommodatum: quod ergo supernaturale fuerit, lumenque rationis naturalis excedens, si aliquo ex dictis modis non probetur necessarium, non est admittendum, neque credendum.

7.
Declaratur
ratione.

Supereft probanda minor, quæ primò declaratur ratione: nam duo munia possunt in illo auxilio physice prædeterminante distinguere, vnum est quod sit principium physicum actus supernaturalis, aliud quod habeat illam efficientiam cum determinatione ad vnum quod ad exercitium, ita ut in sua efficientia non subdatur liberò vsui voluntatis liberæ. Primum quidem directe pertinet ad dandas vires voluntati, quæ de se sufficiens est etiam physice ad hos actus efficiendos. Vnde fateamur voluntatem humanam indigere aliquo supernaturali principio physice adiuuante illam ad eliciendos singulos supernaturales actus. Quod autem tale principium ut sit completum debeat habere coniunctam secundam conditionem non pertinet ad dandas vires voluntati, & ideo in ea parte non est necessarium, neque etiam ob indifferentiam, vel indeterminationem intrinsecam voluntatis ad velle, quia non est necesse hanc indifferentiam tolli prius natura, quam operetur, imò hoc est parum consentaneum naturali conditioni, ac modo operandi illius facultatis. Nam ut supra lib. 3. dicebamus, frustra naturæ author dedisset voluntati illam naturalem indifferentiam, si oporteret postea prius ab alio determinari, quam posset determinate operari, quod ibi generaliter probauimus de operibus voluntatis, & rationes ibi factæ æquæ in præsentī materia procedunt.

8.
Confirmatur
ratio.

Vnde confirmatur hæc ratio, quia ex natura rei non est necessaria noua virtus, quando causa secunda habet intrinsecam virtutem completam in ratione principij proximi: ut sol non indiget alia virtute suæ luci addita, nec ignis alia præter calorem suum. Quò argumento conuincuntur aliqui ex Thomistis, ut fateantur has causas non indigere concursu præuio, ut virtute agendi per modum actus primi, quia non est superfluum, & voluntariū tot multiplicare qualitates, sed in ordine gratiæ potest esse causa secunda completa in ratione principij agendi proximi, ut intellectus per lumen gloriæ in ordine ad visionem, & voluntas per charitatem, &c. ergo tunc saltem non est necessaria alia qualitas ut det virtutem agendi, vel illam compleat, quod si potentia careat habitu, tunc licet indigeat alio principio coadiuuante, non est necessarium ut illud principium sit prædeterminans voluntatem, quia sine hac determinatione potest dare vires sufficientes etiam in ratione principij, sicut habitus dat illas.

9.
Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Instantia.

Dicetur forte neque habitum, neque aliquam aliam entitatem separabilem ab actu secundo posse dare has sufficientes vires, quia potentia ipsa semper manet inferioris ordinis, quam sit habitus eliciendus. Sed contra, quia licet mille qualitates infundantur potentiæ, semper potentia manet inferioris ordinis, semperque eius proprius influxus est necessarius, ut sæpe tetigi, & in sequenti libro ex professo probabitur: ergo sine causa multiplicantur istæ qualitates. Nam vel ob similitudinem rationis in infinitum procedetur, vel sistendum est in vna perfecta qualitate, quæ in ordine supernaturali sit integrum principium proximum ad phy-

sicam efficientiam ex parte potentie necessarium ad talem actum, ut est, v. gr. lumen gloriæ, vel charitas, vel aliquid simile, ultra quod solum desideretur concursus Dei simultaneus, iuxta dictam finem libri tertij. Ergo ob hanc præcisam rationem ut voluntas recipiat à Deo virtutem supernaturalem ad efficiendum physice quam ex se non habet, non est necessaria multiplicatio qualitatum, nam per vnam perfectam potest Deus totam illam virtutem donare. Neque actualis, seu transiens ultra habitualem necessaria est, quando hæc adest, quia vel esset necessaria propter indeterminationem potentie, vel propter subordinationem causæ secundæ ad primam, & vtrique ratio exclusiua est libro 3. ergo nullus superest titulus talis necessitatis respectu potentie constitutæ in actu primo per habitum. Respectu verò potentie carentis habitu infuso, licet daremus esse necessariam qualitatem, seu motionem actum dalem ac transeuntem suppletentem vicem habitus, non ideo esset necessarium, vtilis qualitas esset prædeterminans voluntatem, quia sine tali conditione, non prædeterminatione posset dare vires physicas integras, & proportionatas actui supernaturali in ratione principij physici, relinquendo voluntatem integram in sua naturali potestate vtendi, vel non vtendi principio quolibet sibi superaddito circa obiectum indifferens, cum indifferentia iudicij propositum. Adde etiam posse Deum per se ipsum supplere efficientiam physicam habitus, non prædeterminando potentiam, sed quasi coniungendo se illi & offerendo suum influxum, si voluntas suam adiungere velit, ut in prolegom. 1. & in lib. 3. explicauimus. Nam quod ad hoc, eadem est ratio de Deo concurrente per modum causæ primæ vniuersalis, vel concurrente per modum causæ proximæ principalis, ut in eo casu concurreret.

Solent prædicti authores aliud huius necessitatis principium magni facere, nimirum diuinam necessitatem prædestinationem, præfinitionem, seu decretum prædictum, seu intentionem efficacem & absolute, hæc enim omnia, quod ad prædictum spectat, in idem recidunt, quia Deus. Itaque hominem conuertere, de qua dixit D. Thomas 1. 2. qu. 11. art. 3. in fine corporis. Si ex intentione Dei mouentur quod homo, cuius cor mouet gratiam consequatur, infallibiliter illam consequetur. Ut ergo illud propositum Dei indubitante impleretur, necessaria est motio prædeterminans. Veruntamen neque ex hoc capite ostenditur talis necessitas, quia motio prædeterminans non est medium necessarium, ut prædestinationis, & propositum Dei ex parte obiecti includit ut voluntas humana plena libertate conuertatur, & gratiam consequatur, ad quem finem non est aptum medium prædeterminatio, ut capite sequenti ostendam. Sufficit ergo motio prædicta quæ suum effectum infallibiliter consequatur, merito enim D. Thomas illa voce infallibiliter vsus est, quia non requirit prædictam determinationem in causa, sed certitudinem effectus, etiam si causa de se indifferens sit. Vnde etiam Augustinus lib. de dono perseru. cap. 14. loquens de medijs prædestinationis, dixit esse beneficia omnia, quibus certissime liberantur quicumque liberantur, non dixit quibus prædeterminantur, vel quidpiam æquiualens, sed dixit certissime, quia satis est quod talia media infallibiliter subhibitura effectum in præsentia diuina, quod per vocationem congruam sine prædeterminatione subsistere optimè potest, ut in sequentibus declarabimus. Et inde ex responsione ad rationes sententiarum, & ad testimonia quæ congerit, euidentius conabit hanc necessitatem talis prædeterminationis.

nec autoritate, nec ratione probari; nolimus enim nunc ad illa argumenta, & eorum solutionem digredi, ne discursum disputationis interrumpamus, & doctrinam confundamus.

Secundo & præcipue probatur nostra assertio ex inconuenienti, quia si hoc auxilium prædeterminans physicè voluntatem est simpliciter necessarium ad conuersionem eius, vt supponitur, sequitur eos, quibus non datur non habere auxilium sufficiens ad suam conuersionem, ac subinde, neque liberè non conuerti, ita vt eis imputetur si non conuertantur postquam sufficienter vocati sunt. Consequens est falsum, & sine vlla contentione à catholicis Doctoribus non admittitur, ergo neque antecedens admitti debet. Probat sequela, quia illud auxilium necessarium est, & qui illo caret non habet illud in sua potestate; ergo nec auxilium sufficiens habet, nec libertatem quo ad specificationem ad habendum actum supernaturalem. Consequentia nota est ex dictis supra de libertate, & auxilio sufficiente, quia voluntas non est proximè libera ad actus supernaturales, nisi actu habeat præuenientia auxilia necessaria, & in potestate sua habeat concomitantia. nam vtrumque requiritur ad proximam sufficientiam auxilij. Ad sufficientiam autem ac libertatem, seu potestatem remotam necessarium saltem est habere in sua potestate auxilium efficax. At verò qui non recipit actu auxilium prædeterminans ex ea parte non habet potestatem, & sufficientiam proximam, nec etiam habet immediatè illud in sua potestate actiua, quia non fit ab homine, nec etiam mediatè, quia nihil potest facere, quo illud consequatur, ergo nullo modo est liber cum sufficienti auxilio ad tales actus.

Hæc ratio exaggerata semper est à nostris Authoribus, idèdque defensores contrariæ sententiæ nos reprehendunt quod frequenter hoc argumentum repetimus, & nimirum illud exaggeramus, cum ab antiquis Patribus & Doctoribus sæpius dissoluitur sit. Nos autem in Patribus, vel antiquis Theologis non inuenimus responsum quod huic causæ possit accommodari, & in his quæ ab ipsis excogitata sunt, non quiescunt, & ideo cum res hæc multum necessaria sit ad defendenda dogmata fidei ab hereticis incurtibus, mirandum non quod semper intemus à catholicis Doctoribus postulantes, vt nos doceant, quomodo cum necessitate talis auxilij prædeterminantis sit sufficiens auxilium, & potestas libera, quoad specificationem in his, quibus tale auxilium non datur. Eo, vel maxime, quod quidam eiusdem Dominicane familiæ magnus Theologus Pater Ioan. Vincent. insolubilem reputauit hanc difficultatem. Et ideo, vt Ledesma art. 11. refert ab illa sententia quoad hanc partem recessit, negando necessitatem talis auxilij, licet possibilitatem non negauerit, & ideo concessit aliquibus dari: in quo non esset sibi contrarius, vt illi obijcit Ledesma, si aliunde illa prædeterminatio non repugnaret, quia potest Deus sua voluntate dare maius auxilium, quam necessarium sit. Igitur ommissa quæstione de possibilitate contra necessitatem indicauit ille Theologus, & Thomista rationem factam esse insolubilem, quia libertas non est sine potestate agendi. Vnde si libertas sit quoad specificationem, cum sit ad volendum vnum, vel aliud, dari non potest sine potestate ad vtrumque, neque etiam potestas esse potest sine sufficienti auxilio, cum sine auxilio gratiæ homo non possit hos actus operari, & ideo per auxilium sufficienti hoc posse recipi, vt libro 2. & 4. ostensum est.

14. Duobus autem modis principalibus respon-

Fr. Suarez de Gratia Pars 11.

dent dicti Theologi. Prima responsio est negando auxilium hoc efficax esse necessarium, vt homo possit conuerti, sed tantum esse necessarium, vt conuertatur, & ideo ante tale auxilium, & sine illo habere hominem auxilium quo possit conuerti, & ita habere auxilium sufficiens. Sicut Adam in statu innocentie non habuit auxilium efficax ad resistendum suggestioni Dæmonis, & nihilominus habuit auxilium sufficiens quo posset resistere, si veller, vt ait Augustinus de corrept. & grat. capite 11. Hoc responsum tradit Cabrera supra disp. 6. dub. 7. numero 32. & 33. & latius Aluarez disp. 18. ad 6. & disp. 115. numer. 21. dicens hanc motionem non esse necessariam, vt homo possit operari, sed vt actu operetur, neque esse in re, vt ait, principium actiui, & vltimum complementum virtutis actiue, Similem doctrinam habet in disputatione vigesima, in solutionibus argumentorum, & alijs locis, quæ ibi citat & pro illis allegat D. Thomam in 3. contr. gent. capite 66. ration. 4. & q. de potent. art. 7. ad 7. Sed nescio quo colore, cum nullum verbum sit ibi apud D. Thomam de motione prædeterminante liberum arbitrium, nec de principio in re, vel in obliquo, nec satis intelligo quid hæc verba significant, non enim sunt in usu.

Simili modo respondet Ledesma dicto art. 11. conclus. 1. ex hoc enim principio defendit auxilium præcedens ad auxilium efficax, & separatim ab illo esse verè sufficiens, quia auxilium sufficiens habet rationem virtutis & potentie: efficax autem auxilium dat actualem operationem, & non est necessarium ex parte principij virtutis, seu potentie, imò supponit integram potentiam ex parte hominis sufficienter præuenti, subordinatam tamen motioni diuinæ prædeterminanti, quæ sufficiens est ante illam motionem, licet operari non valeat sine motione, sicut potentia motiua existens in manu de se sufficiens est ad efficiendum motum, licet subordinata sit appetitui, & sine illius motione ipsa non moueat. Et intellectus habitu fidei instructus sufficiens potentia est ad eligendum actum credendi, licet illum non valeat elicere, nisi motus à voluntate cui subordinatur. Ad hunc ergo modum vult ille auctor comparari voluntatem instructam auxilio sufficienti ad diuinam voluntatem, & motionem eius per auxilium prædeterminans quod voluntas prius est potentia sufficiens ad actum eliciendum, ita verò subordinata voluntati diuinæ, vt non valeat inchoare actum suum, nisi prædeterminata à voluntate diuinæ, & ideo (ait) in se supponitur sufficiens potentia ante talem motionem, ideoque auxilium sufficiens præcedit ante auxilium efficax, & in hac responsione hic auctor præcipue insinuat, licet aliam adiungat, de qua statim dicam.

Dicta verò responsio in primis nititur in alio fundamento quod auxilium efficax gratiæ solum est concursus primæ causæ in illo ordine, quod fundamentum in superioribus euersum est; probauimus enim concursum primæ causæ in quolibet ordine, & per se ex vi solius subordinationis ac dependentiæ causæ secundæ à prima non esse quid præuium in ipsa causâ secundâ, sed simultaneum, & imbitum in actione ipsius causæ secundæ, & ideo ante talem concursum in re ipsa exhibitum optimè intelligi præcedere ordine nature in causâ secundâ sufficiens, & integra virtus agendi. Auxilium autem efficax, de quo tractamus, non est concomitans, sed præuium, vt inter nos conuenit, ergo non rectè supponitur dari per modum concursus: præterea etiam admissio concursus præuio, supra ostensum

Ref. ostendit
dictum
Theologi
tum prima.

August.
Cabrera.

Aluarez.

D. Thom.

14. Responsio
Ledesma.

15. Responsio
Ledesma
fundamen-
tum quod.

sum est negari non posse, quin sit actus primus, & det virtutem agendi: ergo etiam si auxilium efficax gratia fingatur solum per modum concursus praeiij, erit actus primus, & dabit virtutem agendi. Multo ergo magis est talis virtus, & principium agendi si necessarium est, non propter dependentiam generalem causae secundae à prima, sed maxime propriè ac proximè propter defectum virium causae proximae, quae est voluntas, vt ex sententia Augustini comprobaui-
mus.

16. Hinc ergo euidenter concludi videtur, sine tali auxilio non esse voluntatem sufficientem in actu primo constitutam; quod quidem his verbis fatetur Cabrera 3. p. q. 18. art. 4. disp. 6. dub. 3. numer. 110. vbi comparat voluntatem sine hoc auxilio visui carenti specie ad videndum. Et Cumei in Opusc. libro 1. disp. 4. sect. 2. in declaratione 6. conclusionis dicit auxilium efficax esse donum gratiae in genere principij, & causa efficientis antecedens primum vsum conuersionis; &c. & conclus. 4. §. adde etiam, ait auxilium sufficiens non grammaticaliter, (vt ipse loquitur,) sed theologicè dici sufficiens, quia dat homini, vt possit agere, tribu-
itque ei vim ad volendum, sed non completè omnino, quia est etiam necessaria gratia efficax intrinseca praedeterminans voluntatem, per modum actus primi, & tunc (ait) homo est completè potens, & ibidem iterum, atque iterum repetit auxilium sufficiens dare quidem posse, sed non completum, & integrum: accedente autem efficaci compleri, & fieri proximè sufficiens. Denique Aluarez, Capezudo, & alij locis supra allegatis fa-
tentur hoc auxilium esse principium per se actus voluntatis, & esse actum primum, vel saltem comple-
mentum eius.

17. Hinc ergo multis modis reiiicitur responsio. Primo, quia auxilium efficax proximè, & immediatè non dat agere, sed posse agere, licet det tale posse ad quod statim sequatur agere; ergo sine illo non habet potentia integrum posse per totum antecedens auxilium; ergo totum illud non potest dici sufficiens. Primum antecedens patet, quia voluntas habet immediatè & proximè, seu formaliter agere ab ipsa actione: hoc autem auxilium distinguitur ab ipsa actione, vt iam expositum est in illa sententia; ergo tale auxilium per se, & formaliter non dat agere, sed aliquid praeuium ad agere, quod non est nisi posse; quid enim aliud cogitari potest? Vnde nota est prima consequentia, quia si ante tale auxilium voluntas haberet integrum posse, non indigeret auxilio dante posse; si autem indiget illo, signum est totum praecedens auxilium non dare integrum posse, ac subinde non esse sufficiens, vt in secunda consequentia inferebamus.

18. Respondet Ledesma dicto art. 11. conclusionem 2. pro alijs suis auctoribus, (licet in hoc puncto ab illis discrepet,) negandam esse illam vltimam consequentiam in eorum opinione. Nam illi solum dicunt auxilium efficax consummatium, & impletium auxilij sufficientis, vnde supponunt ante illud esse auxilium sufficiens, quia complementum supponit rem quam complet, sicut existentia supponit essentiam, quia illam complet. Sed non cluditur verbis tam grauis difficultas, nec in re tam ardua, vt licet verbis ambiguus ad vim rationis fugiendum, quod certè in illa responsione fit. Duobus enim modis aliquid dici potest complementum rei. Primo tanquam addens aliquam perfectionem rei iam perfectae: secundo tanquam constituens illam in tali esse completo; & primo modo supponit rem, non autem secundo modo: vt, forma vno modo dici

potest complementum materiae, quia actus illam, & ita supponit illam aliquo modo, quia vt sic non constituit materiam in esse materiae; alio vero modo est forma complementum constitutum compositi, & vt sic non supponit compositum, sed complet, & constituit illud; & sic existentia, (cum istis auctoribus loquendo,) non complet essentiam constituendo illam in esse essentiae, sed suo modo actuando illam, & ideo potest illam in ratione essentiae supponere: complet autem essentiam in ratione entitatis actualis illam constituendo, & vt sic impossibile est intelligere essentiam completam in ea ratione entitatis actualis ante existentiam. In praesenti ergo auxilium efficax dicitur, esse complementum potestatis efficiendi actum supernaturalem tanquam constituens, & integrans principium sufficiens effectuum actus supernaturalis. Patet consequentia, quia tale est illud complementum, vt sine illo potentia quae supponitur sit inima, & simpliciter impotens ad talem actum efficiendum; ideo enim tale complementum simpliciter necessarium est ex parte principij, vt det vires ad efficiendum.

Eadem doctrina adhibenda est, si hoc auxilium dicatur esse complementum auxilij sufficientis, quamquam, si alij auctores attentè legantur, non ita loquuntur, sed dicunt esse complementum actus primi, vel virtutis, seu principij effectuum actus voluntatis. Et ante tale complementum in ratione principij, seu virtutis voluntas auxilium esse complementum in ratione sufficientis, quia ad sufficientiam non putant esse necessarium illud complementum in ratione virtutis, & principij actiui. quod non esse consequenter dictum facile intelligi potest, vt statim notabo. Verumtamen admissio illo modo loquendi, non potest auxilium efficax dici complementum auxilij sufficientis, tanquam formaliter completum, & constituens illud. Nam hoc pugnat cum doctrina ab eis recepta circa distinctionem auxilij in sufficientis & efficax: illa enim duo membra distinguuntur tanquam completa in suis rationibus, & vt inter se distincta. Quapropter si aliquo modo permitti potest, vt auxilium efficax dicatur complementum auxilij sufficientis, intelligendum erit de complemento quasi extrinseco, & addendo nouum modum perfectionis, & virtutis, & sic dicetur auxilium sufficiens supponit ad efficax in ratione sufficientis auxilij, non tamen in ratione sufficientis, & completi principij ad mandandum, v. g. vel consentiendum. Quae duo probamus esse repugnantia, quia auxilium, vt sit sufficiens, debet sufficere in ratione principij actiui, alias non habet sufficientiam necessariam ad veram libertatem, quae residet in potentia actiua, vt actiua est, vt in Prolegom. 1. ostendimus. Et ideo de ratione sufficientis auxilij est, vt det sufficientem potestatem actiuam operandi, vt ibidem & latius in superiori libro ostensum est.

Declararique potest, & confirmari haec doctrina exemplo potentiae visivae, & principij sufficientis ad videndum: nam visus per se spectatus est in se ipsa potentia visiva, non tamen est integrum principium videndi, ideoque species visibilis rectè dici potest commentum principij videndi tanquam constituens illud: non potest autem hoc modo dici complementum potentiae visivae tanquam constitutum illius, quia supponit illam, licet possit dici complementum tanquam actus addens illi aliquam perfectionem. Hinc vero manifestè fit, vt licet potentia visiva, vt talis est, supponatur ante speciem, & inueniatur sine illa, nihilominus

18. Alia responsio Ledesmae

nihilominus sufficiens principium videndi non possit sine specie inueniri, quia sola potentia sine specie non sufficit ad videndum. Ita verò comparantur auxilia excitantia, quæ sufficiens auxilium efficax, sicut potentia visiva ad speciem, vel in vniuersum, ut inchoatum principium ad comprincipium, quo completur; ergo licet illa auxilia possint dici sufficientia in suo genere, utique excitantis gratia non sunt, nec dici possunt sufficiens auxilium in ratione potentia & principij simpliciter effectui actus secundi, & ultimi voluntatis.

Secundò principaliter impugno responsionem illam, nostrumque argumentum confirmo, quia ut voluntas possit facere actus supernaturales, non solum indiget potestate morali, sed etiam physica, quia licet voluntas moraliter operetur, cum liberè vult, simul operatur physice, propriè, & per se, efficiendo actus suos, & ad utrumque est per se impotens in ordine ad actus supernaturales, & ideo non solum indiget auxilijs dantibus posse morale, sed etiam dantibus posse physicum, quod in libro trigésimo latè ostensum est, & nobiscum in hoc conveniunt dicti auctores. Hinc ergo argumentor: nam homo non potest dici habere auxilium sufficiens simpliciter ad liberum actum efficiendum, propter solam potestatem moralem, nisi habeat etiam physicam, sed per auxilia excitantia, seu antecedentia ad auxilium efficax, & illo præcisò non datur voluntati potestas physica ad eliciendum supernaturalem actum, sed tantum moralis, ut ex sententia dictorum Patrum suppono, nam in hoc non dissentimus; ergo per illa sola non datur ei principium sufficiens. Maior videtur evidens ex terminis, quia non potest actus liberè fieri à voluntate nisi fieri ab illa physice, ut supponitur; ergo quando voluntas de se non habet potestatem physicam ad eliciendum actum, non potest dari illi absoluta potestas sufficiens ad eliciendum illum, nisi detur illi physica virtus ad ipsum eliciendum. Imò si quis attentè consideret, in ipso verbo eliciendi includitur efficientia physica. Et in actibus liberis imperatis id ad sensum declaratur: nam si caret quis pedibus, non est liber ad ambulandum, etiam si sit liber ad volendum, vel desiderandum ambulare, unde neque potest talis homo constitui in statu sufficienti ad liberè ambulandum, nisi ei restituantur pedes; & detur potentia physica ad ambulandum, quia aliàs non erit in potestate eius ambulare, simpliciter loquendo. Sic ergo voluntas nisi ei detur potestas physica ad amandum, vel credendum, non est libera simpliciter, neque habet auxilium sufficiens ad illos actus exercendos: sicut homo nunc non est liber ad videndum Deum, neque ad id habet auxilium sufficiens pro hoc statu, quia caret potestate physica ad efficiendum talem actum.

Respondent fortasse ante auxilium efficax dari homini per habitus infusos potestatem physicam ad eliciendos actus supernaturales, & ita dari auxilium sufficiens in utroque genere potentia. Sed contra hoc instari potest ex omnibus dictis, quia habitus sine auxilio efficaci est quasi potentia remota, & per se simpliciter impotens, sicut potentia visiva sine specie. Quod maximè conuincit supponendo, vti diximus, hoc auxilium prædeterminans non postulari ex parte generalis concursus in genere, sed ex parte virtutis causæ secundæ, ut det illi vires ad operandum supernaturaliter, quia solus habitus non dat illas integras, ac proinde neque sufficientes.

Et. Suarez de Gratia Pars II.

res. Adhuc tamen euidentius id ostenditur in homine infideli vocato ad fidem, vel peccatore vocato ad poenitentiam, nam in illo non est habitus infusus, qui det potestatem physicam, eliciendo voluntatem credendi, vel actum poenitentia; & omnes motus gratia excitantis præcedentes conuersionem non sunt principia physica conuersionis, ut ipsi supponunt contra Molinam, me non repugnante. Nec etiam ipse Spiritus sanctus adiungitur poenitentia confortans immediatè illam, & cooperans physice cum illa talem actum: hoc enim ipsi in me impugnant, & volunt virtutem hanc physice efficiendi talem actum dari homini in eo statu constituto per motionem Dei efficacem, quam dicunt non esse aliam ab ipso auxilio efficaci. Vnde Ledesma dicta questione vnica in principio, in quarto fundamento, ait in illo homine auxilium constituere voluntatem in actu primo proximo ad operandum, ac proinde illud esse auxilium sufficiens proximè, & reliqua quæ antecedunt, solum esse remotè sufficientia. Et idem reperit art. 6. §. aduertendum, post tertiam conclusionem, & rationem reddit, quia in illo casu nihil aliud est, per quod voluntas constituatur in actu primo respectu talis actus. Et eandem doctrinam habet Aluarez, ut saepe in superioribus allegaui, & videtur esse communis horum auctorum ut in materia etiam de iustificatione dicemus. Ergo peccatori cui non datur auxilium prædeterminans, non datur auxilium simpliciter sufficiens ad poenitendum, nec infideli cui prædicatur Euangelium, datur internum auxilium sufficiens ad volendum credere quandiu non datur auxilium efficax, quia non est constitutus in actu primo, nec habet virtutem physicam ad efficiendos. Quæ ratio iudicio meo efficacissimè concludit ad hominem in peccatore, quantumvis actu vocato, & excitato, prius tamen natura concepto quàm auxilium efficax recipiat, non esse auxilium simpliciter, & proximè sufficiens ad conuersionis actum efficiendum. Quod tandem Ledesma supra concedit, & ad aliam solutionem diuertitur, de qua statim.

Tertiò possumus hoc vrgere: nam etiam si daremus, auxilium efficax non dare potestatem agendi, eo ipso quòd simpliciter necessarium dicitur ad volendum, quocumque modo fingatur necessarium, siue ex parte principij, siue ex parte actus, siue ex parte Dei, siue ex parte hominis, si tale auxilium nec offertur illi, ita ut in potestate eius actiua constituatur, non potest homo in tali statu constitutus dici habere auxilium sufficiens, aut veram libertatem ad talem actum efficiendum. Probat, quia si ad agendum est necessarium tale auxilium, ergo ad potestatem agendi est necessaria potestas habendi idem auxilium, ut superiori libro tractando de auxilio sufficienti latè probatum est; ergo si Deus nec dat hoc auxilium, neque expectat aliquid ex parte hominis, ut illud det, sed pro suo arbitrio illud distribuit, ut solent dicere illius sententia auctores, profectò non est tale auxilium in potestate hominis, ac subinde neque effectus eius est in libera hominis potestate, nec talis homo potest dici auxilium simpliciter ad talem actum sufficiens recipere. Et hoc argumentum maximè vrget contra aliquos ex dictis Theologis, qui dicunt Deum nec dare, nec paratum esse dare omnibus reprobis efficacem prædeterminationem, sed de facto decreuisse æterno decreto illis non dare tale auxilium ex se solo, & ante omnium operum præuisionem, sicut docet Cabrera dicta disputatione 6. dub. 7. à numer. vigésimo, unde

Ledesma.

Aluarez.

22. Vrgetur tertiò.

Probat, quia

Cabrera.

de in numer. 28. ait esse simpliciter impossibile collationem talis auxilij respectu reprobj, quia suppositio antecedens, ait, facit actum simpliciter necessarium, vel impossibile: illud autem decretum est suppositio antecedens, ut ipse ait, quia antecedit libertatem reprobj, & ideo facit simpliciter impossibile collationem talis auxilij.

23.
Instauria.

Precluditur

August.

Respondet
Alvarez.

Reicitur
illa respon-
sio.

24.

Quod si instetur inde sequi esse impossibile actum ad quem tale auxilium est necessarium, & consequenter omissionem eius non imputari in culpam. Respondetur negando sequelam, quia auxilium non est necessarium ad posse, sed ad agere. Neque aduertit, (præter alia quæ diximus,) licet carentia auxilij necessarij ad agere non tollat potestatem agendi, nihilominus impossibilitatem simpliciter, & antecedentem habendi id quod est necessarium ad agere, reddere impossibile ipsum agere & consequenter excusare omissionem eius. Propter quod dixit Augustinus libro de corrept. & gratia capite 11. si primo homini defuisset auxilium, ita ut illud habere non posset, si vellet, non fuisset illi lapsus imputandum, quia nemo peccat in eo quod vitare non potest, ut idem Sanctus dixit libro tertio de libero arbitrio capite 18. & libro de natur. & gratia capite 67. ubi subdit, Non imputari homini quod mutus ignorat, sed quia negligit querere, quæ ignorat, & quia volentem sanare contemnit; ergo si Deus ex se non vult sanare, nec dare auxilium efficax, non potest homini imputari quicquid ex illa carentia necessariò sequitur. Est ergo sententia illa valde repugnans sufficientiæ auxilij, multumque diminuens vniuersalem, & veram Christi redemptionem circa reprobos, & veritatem prouisionum Dei, quibus se ostendit paratum ad omnes homines conuertendos, omniumque remittenda peccata, ac denique contra iustitiam Dei, & quod imputet homini, quæ reuera vitare non potest. Ideoque, ut superiori libro notavi, iuxta doctrinam Concilij Senonen. in decreto fidei decimo quinto, ut necessitas auxilij præuenientis in his, qui illo carent, libertatem ad agendum non auferat, necessarium est, ut Deus quantum in se est paratus sit illud dare. Vnde etiam ipse Cabrera in illa sententia constans non est, ut infra in illo, & alijs adnotabo. Non enim desunt qui respondeant semper esse in potestate hominis in hac vita recipere hoc auxilium efficax, quia quandiu hic viuit, nunquam esse extra statum salutis, ideòque potest auxilium efficax recipere. Vnde ex eo quod homo non habeat auxilium efficax, (ait P. Alvarez,) non rectè inferitur non posse operari, sed non operaturum, sicut ex eo quod paries careat albedine, non sequitur non posse esse album, sed solum non esse album; ita ergo carens auxilio efficaci ad amandum non amabit; potens autem est ad amandum per virtutem actiuam quam dat auxilium sufficiens, quia semper potest pro isto statu moueri efficaci motione. Sed responsio non satisfacit. Primò, quia auxilium præuium ante hoc efficax non dat virtutem actiuam physicam & sufficientem, ut iam ostensum; imò interdum nullam physicam virtutem actiuam præbet, ut de homine carente habitu charitatis dicebamus.

Secundò, quia illa potentia est in homine non habente auxilium efficax ad habendum illud ex parte ipsius hominis, est tantum potentia passiva, cum à solo Deo fieri debeat, & sola eius voluntate detur, negetur: habere autem auxilium in potentia passiva tantum, non satis est

ad moralem potestatem operandi, de qua tradimus, nisi id sit aliquo modo constitutum in hominis actiua potestate. Quia, (ut supra probatum est in primo Prolegomeno,) potentia passiva, ut sic, non sufficit ad libertatem arbitrij, unde non dicitur homo habere in sua potestate quod potest recipere, sed quod potest agere, iuxta illud Augustini libro primo retract. capite 22. Aug. & libro secundo, capite primo. Illud est in nostra potestate quod, cum volumus, facimus. quod de illo auxilio efficaci prædeterminante dicere non possumus, quia nec possumus illud in nobis facere, nec pro nostro arbitrio, aut voluntate nobis dari, ut statim ostendemus. Ergo illa potentia, quæ est in omnibus viatoribus, ad recipiendum hoc auxilium efficax non satis est, ut dicantur habere auxilium sufficiens, nisi etiam ex parte Dei ita illis offeratur, ut sit in potestate morali ipsorum, ac subinde in eorumdem voluntate sit habere illud, vel saltem non impedire quod à Deo detur; ergo necessarium est Deum quantum ex se est, paratum esse illud dare nisi per hominem stet, imò iuxta dicta in superiori libro de auxilio sufficiente, hoc non satis est ad auxilium proximè sufficiens, sed tantum remotè; ergo nullo modo saluari potest in ea sententia, quod infidelis, vel peccator sufficienter vocatus ad fidem, vel penitentiam habeat auxilium proximè sufficiens ad voluntatem credendi, vel penitendi, quod satis magnum inconueniens est, & multo maius quod nec remotè potest illud habere, ut in sequenti puncto ostendam.

Alia igitur responsio dictorum Theologorum est hominem sufficienter vocatum habere auxilium sufficiens simpliciter, quia si per eum non stet, infallibiliter prædeterminabitur voluntas eius ad consentiendum. Ita respondet Medina i. 2. quæstione centesima nona, articulo decimo in principio dubij post primam conclusionem, & tertio nota, & in fine articulo ad 3. dubit. Sequitur Franciscus de Auila capite 7. & 8. Aluar. disput. 18. ad 6. & in alijs locis infra citandis. Et propterea in disputatione 95. ad 1. distinguit inter auxilium efficax datum & oblatum, dicitque illi auxilium dato non posse resisti, illi autem oblato resisti posse. Eandem doctrinam habet Ledesma in articulo 1. in fine, & alijs adnotabo. Non enim desunt postea in varijs articulis soluendo argumentum hoc multum laborer, & plura dicat, quæ non videntur satis intelligi, neque inter se conuenire, ut infra notabo. Eandem doctrinam saepe repetit Cumel i. 2. quæstione centesima vndeima articulo 3. ad 3. & in opuscul. libro i. disputatione 4. sect. 2. in declaratione 5. conclusionis, & explicatione in illa & sequenti disputatione. Tener denique Cabrera supra disputatione 2. num. 476. 447. & alijs.

Solent hi auctores ad hanc solutionem confirmandam uti testimonijs Patrum allentium quod homini non detur gratia, in ipso causam esse, non in Deo, quos supra latè retuli libro 1. per varia capita. Et videri potest Augustinus libro 1. retract. capite 22. libro 2. de peccator. merit. capite 17. & quæstione 2. ad Simplician. & libro 3. quæstion. quæstione 68. & Prosper libro 1. de vocat. Prolog. gent. capite 5. & libro 2. per totum, & Anselm. D. Thom. de casu diabol. capite 2. & 3. & D. Thomam. 3. contra gent. capite 159. & 160. Imò etiam Concilium Tridentinum sess. 6. capite 5. apertè docet esse in potestate hominis conuersionem ipsam, ac subinde in eadem potestate esse habere omnia auxilia necessaria ad conuersionem. Doctrina ergo ipsa in se vera est, & certa: Patres autem illam non applicauerunt.

cant ad auxilium prædeterminans, sed absolute, & simpliciter loquuntur de potestate habendi auxilia necessaria, ut homo saluetur, si velit. Quomodo autem illa doctrina applicanda sit ad præuenientia auxilia vsque ad primum in præcedenti libro pro virili explicatum est, nunc autem videndum est, an possit applicari ad auxilium efficax si in efficaci prædeterminatione ponatur.

Dico ergo non posse applicari, quod ita ostendo: nam si est in potestate morali voluntatis humane sufficienter vocat ad fidem habere infallibiliter auxilium prædeterminans & efficax, vel illud impedire; id esse debet intercedente aliquo vsu libero eiusdem voluntatis, veluti mediis, inter auxilium excitans sufficienter, & hoc prædeterminans non potest autem postulari talis vsus, nec sufficere; ergo non potest hoc auxilium priusquam re ipsa deur in libera, & morali hominis potestate constitui. Maior clarissima est ex his quæ diximus cum Augustino, quia potestas moralis est in his, quæ cum volumus, facimus, vel habemus; aut recipimus: sic enim habitualis gratia est in potestate peccatoris, & sic de alijs: si ergo supposita vocatione auxilium prædeterminans est in potestate nostra, oportet, ut sit mediis aliquo libero vsu voluntatis nostræ. Quod autem hoc dici non possit, pro ut in minori subsumebamus, probatur primò ratione supra infirmata, quia hinc sequitur non esse in potestate peccatoris sufficienter vocati immediate conuertere, aut velle credere, vel poenitere. Consequens autem est falsum, ergo. Sequela patet, quia posita vocatione quantumvis sufficiente non potest voluntas immediate prorumpere in consensum; seu actum ad quem vocatur, quia non immediate recipit prædeterminationem; sed prius debet aliquem alium vsu medium suæ libertatis habere, ut in illa responsione supponitur.

Fallitas autem consequentis ostenditur primò ex modo loquendi Patrum, qui semper illa duo tanquam immediata coniungunt, sic Augustinus quæstione secunda ad Simplicianum non dixit: *secundum esse nostrum & Dei*, subiungit, *Dei vocando; nostrum sequendo*, neque inter illa duo medium agnoscit. Simili modo Prosper libro secundo de vocat. gent. capite 26. prius declarat quomodo Deus præmoueat ac præparet voluntatem; per gratiam excitantem, & deinde immediate adiungit, *sed voluntas hominis subiungitur ei*, (id est, illi gratia,) atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata presidio, ut diuino in se cooperetur operi; & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium. Ergo ex sententia Prosperi potest voluntas sufficienter vocata immediate incipere consensum cooperando gratiæ Dei, nullo alio interueniente medio vsu libertatis. Idem eleganter docuit Bernardus libro de gratia & liberi arbitrio versus finem; cuius verba sæpius in superioribus retuli. Ratione item declaratur, quia nescit tarda momenta Spiritus sancti gratia, sed Deus immediate vocat sufficienter ad fidem, ita ut homo plenè attendat, & habeat obiectum præsens cum sufficienti excitatione voluntatis, & nihil aliud per illam vocationem intendit; aut præcipit homini sic vocato nisi, ut velit credere, & credat; ergo ad hoc dat ei auxilium proximè sufficientes.

Secundò potest hoc ad hominem efficaciter probari contra dictos auctores, quia aliàs expectaret Deus voluntatem hominis, ut daret illi initium efficaci conuersionis, seu consensus;

Fr. Suarez de Gratia Pars II.

quod iuxta illorum sententiam in motione prædeterminante consistit. Consequens autem illud ipsimet in nobis damnant, & licet dicamus Deum expectare voluntatem, non ut per se operantem, sed ut gratiæ suæ cooperantem, nihilominus id putant ad Semipelagianorum sententiam pertinere; ut infra videbimus; ergo non possunt consequenter illam sequelam, vel consequens eius admittere, maxime, quia non solum sequitur expectare Deum liberum arbitrium, ut suæ gratiæ cooperans, Sed ut per se ac viribus suis bene vtens sua libertate post vocationem, ut ostendam. Probatur ergo sequela. Probat. quoad priorem partem, ut in argumento absolute est proposita, quia post vocationem sufficientem in potestate nostra est recipere, vel non recipere auxilium efficax prædeterminans; ergo priusquam Deus illud det; respicit an homo se disponat, nec ne, ad auxilium efficax, vel an illi ponat impedimentum, nec ne; ergo expectat aliquem proprium vsu liberi arbitrij, ut iuxta exigentiam eius det, vel neget auxilium. Iam ergo probatur altera pars, quia ille vsus non potest esse ab auxilio efficaci, quia antecedit illud, siquidem ab illo pendet quod detur, vel non detur auxilium efficax: ergo est absolute libero arbitrio, & ita expectat Deus vsu proprium liberi arbitrij solius ut det; vel non det prædeterminans auxilium. Ex quo vterius efficacius obijciunt contra hos auctores testimonium Pauli dicentis, *Quis enim te discernit?* quàm soleat ab ipsis contra nos obijci. patet; quia supposita necessitate physica prædeterminationis; per illam maxime fit discretio inter bonos, & malos; prædestinatos & reprobos; sed ut vnus recipiat hoc auxilium potius, quàm alius; radix est propria vniuersusque voluntas libera; per quam vnus se disponit ad tale auxilium, & non alius; vel vnus posuit impedimentum, & non alter: ergo discernitur vnus ab alio proprio arbitrio; cessat ergo interrogatio Pauli.

Tertio ac præcipue ac ex re ipsa argumentor, quia nullus potest cogitari præuius vsus liberi arbitrij, qui sit conditio sub qua Deus offert quantum est ex se tale auxilium, & non sine illa: duplex enim cogitari potest talis vsus, vnus est negatiuus non resistendi; vel non impediendi infusionem talis auxilij: alius est positius se disponendi per aliquem bonum motum ad receptionem talis auxilij; sed neuter vsus potest habere locum respectu talis auxilij: ergo. Maior per se clara est, & illa partitione vtuntur auctores illius sententia: circa minorem autem diuisi sunt; nam quidam requirunt dispositionem negatiuam, eamque esse dicunt non resistere sufficienti vocationi; sed sinere se mouere; nam si ita se habeat (inquiunt) voluntas hominis sufficienter vocata, infallibiliter prædeterminatur: quando autem non prædeterminatur; ideo est, quia non finit se prædeterminari, sed resistit. Ad hanc autem dispositionem negatiuam dicunt non requiri aliud auxilium prædeterminans, & ideo dicunt esse in mera potestate liberi arbitrij, & hoc modo esse in potestate eius habere auxilium prædeterminans. Hunc modum dicendi sequitur Cabrera supra disputatione secunda §. 11. numero 302. 457. & 476. quamvis satis repugnet alicui sententiæ eius supra relatæ, quod homini sit simpliciter impossibile habere hoc auxilium ex decreto Dei antecedente ad omnem vsu liberum voluntatis hominis per absolutam voluntatem Dei non dandi illud. Quidquid verò sit de con-

Ff 3 sequen-

17. Mens autem in potestate

28. Ostenditur fallitas conclusionis sequentis ex modo loquendi Patrum.

29. Argumentum tertium

Declaratur ratio.

29. Argumentum secundum

Sequentia doctrinae, fundamentum illius sententiae esse potest, necessarium est ut ad auxilium efficax aliquo modo sit in potestate hominis iam vocati, sed non est in potestate immediata eius ad inchoandum consensum, quia ad hoc debet praedeterminari à Deo, nec mediante dispositione positiua, quia ad illam erit necessaria alia praedeterminatio: ergo oportet ut sit, et dispositionem illam negatiuam, ad quam non est necessaria praedeterminatio, nec nouum positiuum auxilium.

Hanc sententiam impugnauit latè libro tertio de auxil. capite 13. Et in ea impugnatione nobis consenserunt Ledesma dicto art. primo ad tertium & Aluar. disputatione 105. ad sextam, & Cumel in opuscul. libro 1. disputatione quarta, sect. tertia circa finem tertiae conclusionis; & propter huius discursum complementum, iterum hic rationes summam proponere non grauabor, possumusque ad duo capita impugnationes reducere.

Cōiungitur
rationibus
theologicis.
Ratio prima

Primum continet rationes theologicas in secunda obiectione proximè facta insinuat. Prima, quia ex illa sententia sequitur hominem se disponere viribus solis liberi arbitrij sine gratia physice adiuuante ad obtinendum auxilium efficax, quod non videtur concedendum, quia alias multum haberet homo vnde gloriaretur. Neque obstabit quod illa dispositio negatiua sit, nam est dispositio moralis, & in moralibus magni momenti est libera abstinencia, vel omisio quando est difficilis, & laude digna, ut est manifestum in victoria tentationis contra praeceptum negatiuum per solam suspensionem actus mali. Secunda, quia vltima resolutio cur huic detur, & non illi, auxilium efficax reduceretur in solum liberum arbitrium, quod videtur alienum ab illa interrogatione Pauli, *Quis enim te discernit?*

Ratio secunda.

1. Cor. 4.
August.
Prosper.

prima Corinth. quarto, & ab admiratione Augustini dicentis, *Cur huius trahatur, & illum non trahatur, noli iudicare*, &c. & verbis Prosperi dicentis, rationem ob quam huic datur auxilium efficax, & non illi, non reddi sufficienter ex usu liberi arbitrij. Tertia, quia iam gratia efficax esset pedissequa liberi arbitrij, non ductrix, nam supponeret usum eius, & illum infallibiliter sequeretur, iuxta illam sententiam. Item initium salutis quoad efficaciam actus, (ut ille auctor loquitur,) esset à libero arbitrio non tantum ut cooperante cum auxilio comitante, sed etiam sua sola libertate ita se preparante, saltem sinendo se duci ut infallibiliter trahatur. Quarta, quia sequitur dari ex parte hominis causam moralem saltem negatiuam suae praedestinationis, quae fuit opinio Henrici, quodlibetico quarto, quaestione 19. & quodlibetico 8. quaestione 5. communiter tamen à Theologis reprobata, ut dixi libro secundo de praedestinatione capite 10. & ab ipso etiam Cabrera dubio septimo. Sequela probatur, quia primus effectus proprius praedestinatorum est auxilium efficax, nam antecedentia excitantia, & sufficientia communia sunt ex generali gratiae prouidentia, sed auxilium efficax dicitur dari ex dispositione negatiua propria libertate concepta; ergo.

Ratio tertia

Ratio quarta.

Henricus.

Cabrera.
Probat
sequela.

Ut autem vis harum rationum magis eluceat, obici potest, quia in praecedenti libro docuimus ex doctrina D. Thomae, & communis, Deum dare primam gratiam excitantem homini non ponenti obiectionem, quacunque ratione contingat illi non ponere, etiam per solam carentiam actus liberi mali, diximusque inde non sequi hominem suis viribus se disponere ad primum auxilium gratiae, nec dare initium illa, quia illa carentia obiectionis non est dispositio, nec initium gratiae, ergo idem responderi poterit de auxilio efficaci iuxta illam sententiam, negando illum usum negatiuum esse dispositionem ad auxilium efficax, vel initium eius, sed meram carentiam obiectionis. Cur enim non hic cum eadem proportionem diceretur, Deus ex se offerre auxilium efficax praedeterminans omnibus sufficienter vocatis, non tamen absoluta promissione, sed sub conditione si non ponant obiectionem sinendo se mouere? Nam posita hac lege licet detur auxilium efficax non ponenti obiectionem per usum negatiuum suae libertatis non dabitur gratia ob dispositionem eius, sed ex sola libera voluntate Dei, quia licet contraria dispositio sufficiat ponere obiectionem gratiae efficaci, nihilominus illa per se nihil confert ad eam gratiam, sed Deus gratuito dat eam. Vnde si Deus velit, dare poterit auxilium efficax etiam illi qui reluctatur, & ponit obiectionem. Quapropter licet is cui negatur auxilium efficax, quia non finit se ducere ex parte sua, dici possit se discernere ab alio qui recipit auxilium, quia ratio ob quam ei non datur ab illo sumitur, nihilominus discretio ex parte alterius non potest ipsi tribui, quia nihil fecit dignum tali auxilio, vel de se conducentis ad illud, sed Deus sola misericordia illud dedit. Sicut quando vnus vocatur ad fidem, & non alius, discretio fit inter illos, quae ex parte eius, qui non vocatur, potest habere causam in ipso, ex parte vero eius, qui vocatur minimè. Sic ergo videntur posse eludi rationes factae.

Obicitur.

Et videtur maiori ratione hac omnia esse admitenda in primo auxilio praedeterminante, quam in prima vocatione, quia ante primam vocationem nulla gratia antecedit in qua fundetur carentia obiectionis: in hoc autem auxilio efficaci antecedit gratia excitans, & moraliter iuuans ad non ponendum obiectionem, & sinendum se ducere. Nam licet vocatio sufficiens non necessitet hominem, nec omnino illum praedeterminet ad non resiliendum, vel sinendum se ducere, nihilominus de se ad id mouet, & quando liberum arbitrium se finit duci, seu non resiliit, non solum id facit, sed moraliter adiutum ab ipsa vocatione, & quasi cooperando illi eo modo, quo in abstinentia illa negatiua, & libera potest intelligi cooperatio. Vnde ex hac parte licet negatio illa vocetur aliqualis dispositio, non erit contra gratiam, quia illa eo modo quo fit, ex gratia excitante, & adiuuante fit, dispositio enim negatiua non fit physice, sed moraliter, & ideo satis est quod à gratia excitante, & moraliter adiuuante fiat. Sicut in exemplo posito de victoria tentationis pura negatiua per solam carentiam consensus ad illam sufficere potest auxilium excitans, & moraliter adiuuans, ut in libro 1. dictum est.

Hac tamen euasio, & equiparatio tolerari aliquo modo posset, si usus ille negatiuus posset intelligi per modum remotionis obiectionis, quae sit libera voluntati per solum usum negatiuum, quia verò hoc intelligi non potest, locum non habet dicta euasio, quod explicabitur melius deinde veniendo ad secundum caput rationum, quibus illa responsio impugnatur. Primum ergo argumentum, quia si auxilium efficax est praedeterminans, nullus obex potest illi poni ex parte hominis, si Deus ex se paratus est ad dandum illud. Aut enim ille obex est aliquid habituale in homine existens, vel actuale, neutrum dici potest; ergo. Probatur minor quoad priorem partem de habitu, quia vel illud est peccatum originale,

le, vel habituale, vel aliud quod non sit peccatum. Primum dici non potest, quia licet peccatum originale de se reddat hominem tali auxilio indignum, tamen supposita generali voluntate Dei saluandi, & redimendi omnes, illud solum non est sufficiens ratio ad negandum adultis auxilia necessaria ad salutem, ut de sufficientibus ostensum est in libro quarto. Et est eadem ratio de efficaci, vel certe maior. Quia, (quod notandum est,) collatio, vel denegatio auxilij efficacis adiuvantis, de quo tractamus, non habet locum nisi in homine sufficienter vocato ad fidem, vel penitentiam; nam ille, qui nondum vocatus est, non est capax auxilij efficacis, cum non possit operari nisi vocatus; & ideo in illo, qui non est vocatus, non oportet aliam rationem querere, ob quam non recipiat auxilium efficacem, seu prædeterminans, nisi quia non habet vocationem, qua conuerti possit: cur autem careat vocatione, aliunde petendum est ex dictis de auxilio sufficienti. Posita autem vocatione sufficienti in homine, verbi gratia, existente in peccato originali, sicut peccatum originale impedimentum non posuit vocationi; ita nec potest solum ac per se peccatum esse obex auxilio efficaci; quia eo ipso quod non obstat illo peccato, Deus hominem vocat, quasi remittit ex ea parte indignitatem, & reatum peccati originalis, & se obligat, quantum est ex se, ad dandum auxilium efficacem, si nihil aliud illi obstat; quia non frustra neque sine vocat; ergo vocat ut perficiat quantum in ipso est; ergo necessitate quadam consequentia secundum ordinem & prudentem providentiam dando vocationem non obstante habituali peccato offert etiam de se auxilium efficacem.

Vnde non immerito dici potest auxilium efficacem cooperans, & adiuvans debitum esse homini vocato ratione vocationis, etiam si alias in originali peccato esse supponatur, si aliud impedimentum non interueniat. Et hæc ratio æquè probat de peccato habituali relicto in actuali, vel actualibus commissis. Nam licet hæc de se possint impedire vocationem, tamen si illis non obstantibus Deus dat vocationem sufficientem, ratione quodammodo debetur, & necessario offertur ex parte Dei auxilium coadiuvans ex necessitate non absoluta potentia, sed ordinariæ, & sapientis providentiæ, ut declaravi. Præter peccatum autem non potest alia habitualis dispositio cogitari, quæ sit obex ad recipiendam prædeterminationem, nam si quæ fingi potest maxime naturalis aliqua, vel permanentis indispotio potentiarum ad operandum vtesset infamia, vel amentia; aut somnus, aut aliquid simile; nihil autem horum habet locum in homine actualiter vocato sufficienter: oportet enim ut attendat, & sit apertus proximè ad operandum, si velit, alias etiam esset incapax vocationis; nulla ergo habitualis dispositio siue moralis, siue habitualis, quæ non est obex sufficientis vocationis, est de se obex prædeterminationis. Atque hoc maxime necessarium est in sententia contra quam disputamus, quia dispositio illa negatiua, quam ponit, est libera, & pendens ex vultu libero saltem negatiua, seu suspensiuo actus liberi. Denique est evidens ratio, quia si per dispositionem illam negatiua tollitur obex, necesse est, ut tale sit, quia a libero vultu pendeat, ut per illum vultum tolli possit. At verò habitualis dispositio præexistens in subiecto, non potest tolli per vultum liberum, præsertim negatiua. Quomodo enim per hunc vultum libertatis auferretur habitua-

le, vel originale peccatum, quod sine positiua dispositione supernaturali auferri non potest; ideo non auferatur necessario, supponit gratia efficacis operationem. Idemque de quolibet alio impedimento naturali evidenter est. Sic ergo certum respectu auxilij efficacis, seu prædeterminantis nullum interuenire posse habitualem obicem.

Iam probatur idem de actuali, quia vel ille obex consistit in actu positiua, vel in carentia actus. hoc secundum dici non potest in illa sententia, de actuali, quia obex consistens in carentia actus positiui, non potest tolli nisi per oppositum actum positiuum; ergo non potest tolli per vultum negatiuum libertatis, quia actus non ponitur nisi per vultum positiuum. Item si vocatio sufficiens sit, verbi gratia, ad voluntatem credendi, interrogo, cuiusnam actus positiui carentia possit esse obex collationi auxilij prædeterminantis ad illam voluntatem? nullius profecto. Nam si sit carentia actus mali; illa non obest, imò prodest plurimum ad non impediendam gratia auxilia: carentia autem actus boni si moraliter tantum sit quædam negatio, quia non est omisio peccaminosa, nec carentia actus debiti ex præcepto imperitens est, nec potest moraliter obesse: physice autem, (ut sic dicam,) potest prodesse, ut voluntas sit expeditior ad attendendum vocationi ad fidem, & illi assentiendum, si velit. Si vero sit omisio per carentiam actus debiti ex præcepto, hæc nec necessaria est, nec moraliter coniungi potest cum vocatione actuali ad actum omnino diuersum.

Quod enim non sit necessarius huiusmodi obex, ut homo vocatus non recipiat prædeterminationem ad consensum; manifestum est, sapientissime enim contingit cum homo vocatur ad fidem, vel penitentiam, non teneri pro eo tempore ad alium actum exercendum, ut est per se notum; ergo tunc carentia aliorum actuum, quamuis bonorum, non potest esse obex, ne recipiatur auxilium prædeterminans ad voluntatem credendi, vel penitendi. Quod verò neque moraliter possit contingere, patet, quia homo non potest simul occupari circa multa; præsertim grauissima, & quorum singula magnam requirant animi attentionem & considerationem; ergo dum homo vocatur actu ad fidem, verbi gratia, & Spiritus sanctus per sufficientem vocationem internam cor eius, & mentem ad id agendum, & intendendum excitat, non imponit illi præceptum, ut eodem tempore aliud præceptum impleat, & de re illa interius cogitet & sollicitus sit: non enim esset conueniens providentiæ nec capacitati hominis consentanea. Vnde quando aliud præceptum affirmatiuum instat, potius excitabitur homo ad cogitandum de illo, vel si ad id non excitatur, excusabitur per naturalem inconsiderationem, & sic carentia alterius actus non erit obex actu fidei, vel prædeterminationi necessaria ad illam.

Solum video cogitari posse, post vocationem sufficientem necessarium esse orationis actum ad obtinendum auxilium prædeterminans ad voluntatem credendi, verbi gratia, & carentiam actus ostendi esse obicem alterius auxilij. Sed neque hoc cum probabilitate dicitur, tum quia si homo sufficienter vocatur ad fidem, eo ipso offertur illi auxilium adiuvans ad credendum tanquam consentaneum illi vocationi, ut supra declaravi: tum etiam quia si homo tunc ad orationem non excitatur

cur, non potest actum illum habere, sed ad alium debet immediate conari, ad quem excitatur, si verò excitatur ad actum orandi, cessabit protunc excitatio ad alium actum, & redibit quæstio de ipsa voluntate orandi, nam ad illam erit etiam necessarium auxilium prædeterminans, unde si datur, iam homo orabit, & non ponet vbiem; si verò non datur, quærendum est, cur non detur, vel quo modo sit in potestate hominis, aut quemnam obicem illi ponere possit ob solam carentiam alicuius actus.

Tandem potest hic obex constitui in aliquo alio actu libero, cuius carentia sit remotio obicis, qua posset auxilium efficax impedire. Sed hoc etiam verisimile non est. Primò, quia nullo probabili modo potest explicari quis, vel qualis sit ille actus qui auxilio efficaci suscipiendo obicit, si non auferatur, vel suspenditur. Secundò ad hominem in illa sententia, iuxta quam etiam ad illum actum erit necessaria Dei prædeterminatio. Veligitur Deus prædeterminat voluntatem ad illum actum, vel non prædeterminat: si prædeterminat, non potest voluntati imputari quòd aliam prædeterminationem impediat, quia Deus præuenit illam, prædeterminando illam ad alium actum, cui illa resistere non potuit: si autem Deus non prædeterminat voluntatem ad illum actum, tunc carentia talis actus non est moralis obicis remotio, quia voluntas non per suam libertatis usum, sed necessitate, & ex impotentia naturali non habet illum actum. Probatur, quia non potest actum illum habere sine prædeterminatione, & illa caret, ut supponitur: ad illam autem carentiam non potuit ipsa se disponere, quia nec fingi potest, qualis sit illa dispositio, nec si fingatur, in illa sistemus, sed radicem eius inuestigando in infinitum procedemus; ergo quòd Deus det hanc, vel illam prædeterminationem, non potest in aliquam negationem liberam ex parte voluntatis humane reduci, sed solum pendet ex diuina voluntate.

38.

Quod præterea ita explicatur, quia statim sufficienti vocatione ad fidem, vel homo est capax sub distinctione, vel diuulsi plurium prædeterminationum ad varios actus inter se ita repugnantes, ut simul esse non possint: vel est tantum capax vnius prædeterminationis ad vnum actum? hoc posterius dici non potest, tum quia per illud tollitur libertas quòd ad specificationem actus, quia hæc requirit capacitatem indifferentem ad plures actus, tum etiam, quia si homo vocatus ad credendum, verbi gratia, protunc solum est capax vnius prædeterminationis, certè illa potius erit prædeterminans ad voluntatem credendi, quam ad vllam aliam. Quæ enim alia fingi potest? aut cur illius potius erit capax voluntas, quam alterius, cum supponatur actu excitata sufficienter ad volendum credere? unde si Deus non det illi talem prædeterminationem ad volendum credere, non poterit ipsi voluntati imputari, nec ad alium negatiuum usum eius reduci, quia si non est capax alterius prædeterminationis, nec etiam est capax alterius actus, & consequenter neque omissionis liberæ illius. Si verò est capax plurium prædeterminationum, interrogo, cur potius vnam, quam aliam à Deo recipiat, certè non potest in usum liberum negatiuum ipsius voluntatis reduci, quia prius natura, quam aliquam prædeterminationem accipiat, æquè caret omni actu, tam voluntatis credendi, quam cuiuscumque alter-

rius ipsi repugnantis; ergo ex vi illius negatiue dispositionis non est cur magis ad vnam voluntatem determinetur à Deo, quam ad aliam; ergo impossibile est intelligere cur voluntas sufficienter vocata ad fidem prius natura, quam ad hoc, vel illud prædeterminetur, se disponat, vel (si malis ita loqui,) se non impediatur ad recipiendam prædeterminationem credendi per carentiam alicuius actus qui posset impedire voluntatem credendi, nam illa carentia actuum, quæ in illo priori naturæ antecedi, est naturalis, & vniuersalis ad omnes actus.

Et hæc est potissima ratio, & iudicio meo, demonstratio, ob quam talis negatio alicuius actus intelligi non potest tanquam libera dispositio, vel remotio obicis, quæ aliquo modo suus per se, siue per accidens sit ratio, vel occasio, ob quam Deus det auxilium efficax præueniens post sufficientem vocationem, & ob eandem causam illud non repugnare, vel non resistere Deo vocanti, (ut in dicto libro de auxiliis notauimus) licet per negationem explicetur, non consistit in negatione, sed in aliqua voluntatis cooperatione: nam vocatio ipsa, de qua loquimur, est ad aliquid agendum, scilicet supernaturalem consensum, unde per negationem omnis actus illi resisteretur: ut ergo non resistatur, necessaria est cooperatio aliqua, & ideo impossibile est, illud non resistere, vel se resistere moueri, quatenus liberum est per solum liberum arbitrium fieri sine cooperante gratia: unde de Isai. capite quinquagesimo cum dixisset, Deus minus aperuit mihi aurem, ego autem non contradixi, quomodo non contradixi declaratur, dicens, Corpus meum dedi percutientibus, & adiungit, Dominus Deus auxiliator meus &c. Et ideo Augustinus in libro de prædestinatio. Sanctorum capite octauo diuinæ gratiæ efficaci tribuit, quòd homo non resistit, quia ad hoc, (inquit) dicitur, ut cordis duritia penitus auferatur, quòd etiam habet Prosper in carmine de ingratia, capite decimoquinto, igitur ad non repugnandum necessaria est prædeterminatio; ergo non potest constitui in potestate hominis per prauam non repugnantiam liberam, ut illa opinio consistit.

Est igitur alia opinio, dicens hoc auxilium esse in hominis potestate media aliqua dispositione positiua, quam si homo faciat, Deus prædeterminabit eius voluntatem ad consentiendum sufficienti vocationi ad fidem, verbi gratia vel poenitentiam, sicut est in potestate hominis habere à Deo gratiam habitualem, iuxta illud Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, quia est in hominis potestate habere liberam dispositionem positiuam, quam si habeat, infallibiliter gratiam habitualem consequetur. Et ita videntur sentire interdum dicti auctores. Dixit enim Ledesma in principio quæstionis in quarto fundamento ad finem, cum Deus mouet hominem sufficienti auxilio supernaturali ad detestandum peccata, illud auxilium esse sufficiens tantum remotè, & mediatur respectu actualis conuersionis, nam si voluntas vellet, in virtute huius motionis tandem perueniret ad perfectam conuersionem: ergo eodem modo potest peruenire ad recipiendam prædeterminationem, sine qua impossibile est habere actualem conuersionem. Cum autem dicitur, si voluntas vellet, aperte significatur hoc fieri mediante aliqua dispositione libera eiusdem voluntatis. Eandem doctrinam habet Franciscus Dauid, capite septimo dicens, si homo

homo bene vteretur auxilio sufficienti, Deus daret illis efficax per quod conuerteretur. Idem iudicat Cumel supra disputatione 4. scilicet, secundum conclusionem, in eius declaratione ait non esse dubium quin si homo praeventus auxilio excitante, & sufficiente non male illo vteretur, aut non resistat, & habebit efficax; ubi licet non dicat positivè bene vteretur, tamen cum aliis impugnet vsum negatiuum, oportet ut per illum non maius vsum aliquem bonum intelligat: satis enim male vteretur excitatione Dei, qui nihil boni per illam operatur; unde paulo inferius docet idem author, & bene, quod non resistere gratia, est consentire illi. Et iterum in §. vnde in hac assertionem, dicit hominem gratia vocante, & excitante praeventum habere posse auxilium efficax Deo adiuvante, si bene vteretur prioribus auxilijs. Paulo verò inferius utrumque modum videtur approbare, dicens, homo non caret praedeterminatione efficaci, nisi quia resistit liberè, vel opponit obicem; vel quia nihil curat de illa se diuertendo; & non attendendo diuinæ vocationi. Idem repetit inferius §. his ita praebatis, ubi late explicat hunc vsum positivum, & in scilicet. tertio conclusione septima & similia inveniuntur passim in alijs defensoribus illius sententiae, sed illa omitto, ne & mihi, & alijs molestus sim.

Hanc verò sententiam impugnauit etiam in dicto capite 13. libro 3. de Auxil. quas impugnationes idem auctores approbarunt, Cumel dicta disputatione quarta scilicet. tertia in discursu conclusionis tertiae. Ledesma dicto articulo primo ad tertium Aluar. in disputatione 105. ad 6. ut manifestum sumit, auxilium efficax non dari ex dispositione hominis libera, & à fortiori sequitur ex dictis ab ipso disputatione 18. 23. 90. 91. & alijs. Ut autem veritas hac intelligatur, & directè impugnetur illa sententia, sine tergiversatione aduertendum est hic solum comparari auxilium praedeterminans cum vocatione sufficienti respectu vnius, & eiusdem actus conuersionis, ad quem immediatè voluntas pertalem vocationem excitatur. quod ideo aduerto, quia si vatio sufficiens ad vnum imperfectum actum cum auxilio efficaci ad actum perfectum conferatur, tum rectè fieri potest ut homo cooperando priori vocationi se disponat ad recipiendum auxilium efficax ad perfectiorem actum: ut virgo gratia si quis excitatur ad fidem, & illi consentit, per illum bonum vsum se disponet, ut excitetur ad attritionem peccatorum, & si illam eliciat, poterit per illam disponi ad auxilium efficax quo perfectè conuertatur; hunc enim ferè ordinem describit Concilium Tridentinum sessione sexta ut in libro tertio fusè explicatum. Imò si quis attentè consideret, in hoc progressu non disponitur homo per actum vnius auxilij immediatè ad illud auxilium praedeterminans, sed ad aliquam aliam excitationem ad altiorem actum; vel ad similem actum iterum meliori modo praestandum, cui excitationi aliud auxilium efficax, vel praedeterminans interdum coniungitur ratione prioris supernaturalis dispositionis. Quod si dicti auctores citati in prioribus locis hoc tantum intendunt, vera est doctrina persè spectata, & intellecta de auxilio efficaci, vt sic abstractè ab quaestione de modo illius. Non est autem hoc punctum difficultatis quam tractamus, debet enim comparari, vnaquaque vocatio sufficiens ad auxilium efficax illi proximè, & immediatè necessarium, vt obtineat illum actum liberum, & consentium ad quem proximè hominem vocat, id est, vatio ad eundem cum auxilio efficaci ad vo-

luntatem credendi, & vatio ad attritionem cum ipsamet attritione, &c. de alijs. Dico ergo, si auxilium efficax consistit in motione praedeterminante distincta ab ipsa vocatione, impossibile esse vt illud auxilium pendeat à libera hominis dispositione, quæ sit veluti media inter vocationem, & auxilium efficax, ratione cuius sit in potestate hominis habere, vel non habere auxilium efficax.

Probatum primò, quia vel illa dispositio est aliquis bonus vsum talis vocationis, vel est aliquis alius actus: neutrum dici potest; ergo. Minor quoad priorem partem probatur primò ex hypothesi declarata, quia bonus vsum vocationis non est nisi consensus in actum ad quem proximè vatio excitat; ergo non potest ille actus esse dispositio ad auxilium efficax, quo consentiendum est illi vocationi, aliàs esset dispositio ad se ipsum, imò ad suum principium. Secundò, quia ad illum bonum vsum, quicumque sit, requiritur auxilium efficax; nam ille bonus vsum actus est supernaturalis & gratia, unde non fit sine auxilio efficaci, iuxta dicta supra cap. te secundo; ergo si auxilium efficax est praedeterminans, ille bonus vsum supponit praedeterminationem; ergo non est dispositio ad illam; ergo illa prima praedeterminatio non datur ex dispositione hominis, neque hoc titulo dici potest esse in potestate hominis. De hoc autem primò auxilio efficaci ad primum bonum vsum auxilij sufficientis est sermo, ut animaduerti.

Neque contingit hominem per vnum bonum, & pium vsum vnius vocationis mereri, aut se disponere immediatè ad auxilium efficax ad alium actum distinctum ab illo primo vsum, sed, (ut dixi,) per illum primum actum poterit quis se disponere ad recipiendam aliam vocationem, cum qua alium meliorem actum efficiat, si velit; ergo bonus vsum vocationis non potest esse prauia dispositio ad auxilium efficax immediatè necessarium ad effectum proprium & immediatum talis vocationis. Quod si demus, licentiam fingendi vnam & eandem vocationem posse habere duos effectus liberos, minorem, & meliorem, & per priorem posse hominem disponi ad posteriorem, & ad auxilium efficax, necessarium ad illum: nihilominus etiam ad minimum actum necessarium erit auxilium efficax, & in illo vgetur difficultas. Et deinde non potest cum sufficienti probabilitate affirmari, posito illo priori vsum minus perfectò infallibiliter dari auxilium praedeterminans efficaciter ad alium meliorem vsum illius vocationis. Vbi enim est hæc lex, vel promissio? vel qua probabili ratione id suaderi potest? ergo etiam quo ad illam partem pendeat nouum auxilium praedeterminans ex solo arbitrio Dei; quamuis ratione prioris actus habere possit aliquam congruentiam ex parte hominis: existimo tamen, ut dixi, hanc congruentiam semper esse ex parte nouæ excitationis, vel vocationis, non respectu auxilij efficaci, seu praedeterminantis.

Neque minus certum est in principijs fidei non posse hanc dispositionem consistere in aliquo alio actu distincto à bono vsum sufficientis vocationis; nam ille actus, si non sit ex vocatione supernaturali, erit naturalis: non potest ergo esse dispositio ad donum praedeterminationis supernaturalis, praesertim cum illa dicatur esse quasi dispositio vltima, ad quam sequitur infallibiliter tale donum, quod nullo modo potest tribui actui naturali. Item, quia ad illum actum etiam naturalis sit, erit necessaria praedeterminatio diuinæ ordinis naturalis;

¶ Assertum Auctoris.

42. Probatum.

43.

44.

lis, si consequenter in illa sententia loquendum est, & ita vel ad illam prædeterminationem erit necessaria alia dispositio, & sic procedatur in infinitum, vel illa dabitur pro sola voluntate Dei, & non ex dispositione hominis, Præterquam quod explicari non potest, quis sit ille actus liber voluntatis, qui & non sit bonus vsus vocationis, & necessariò intercedere debeat inter vocationem ad penitentiam, & ipsam penitentiam, seu prædeterminationem ad illam. Nam si illa vocatio est in suo ordine proximè sufficiens ad illum actum penitentiae, ad quem excitat immediatè, potest voluntas illi consentire, si velit, aliàs non esset vocatio proximè in suo ordine sufficiens. Nam si sufficiens est, dat potestatem in illo ordine, & alioqui homo est liber, & adiutorium est paratum ex parte Dei; ad quod ergo est alius actus necessarius?

Et præterea cum per vocationem non proponatur nisi penitentiae obiectum, & aliunde necessarium non sit, imò neque vtile, neque ordinariè contingens, vt homo simul in eodem momento de alijs rebus cogitet, profectò nullus actus cogitari potest, qui necessarius sit, vt homo post vocationem sufficientem ad penitentiam auxilium efficax ad eundem penitentiae actum recipiat. Tandem potest hoc optimè declarari in negotio Angelorum. Nam omnes in primo instanti suæ creationis acceperunt auxilium efficax ad rectè operandum, vt constat: in secundo verò boni Angeli habuerunt auxilium efficax sine præiudicio dispositione, quia illa, quæ in primo instanti præcesserat, non fuerat sufficiens, aliàs etiam mali, qui similem dispositionem cum proportionem habuerunt, ratione illius receperunt auxilium efficax in secundo instanti. Nam in secundo instanti habuerunt sancti Angeli dispositionem præiudicem ad auxilium prædeterminans, quia vno deliberato actu suam viam consummarunt, & ille fuit effectus auxilij efficacijs; ergo talis prædeterminatio non fuit in potestate illorum ratione præiudicis dispositionis; ergo nec fuit in potestate aliorum Angelorum, quibus datum non est tale auxilium, quia non magis potuerunt ad illud disponere, quàm boni Angeli. Idem ergo est in omnibus, nam cum proportionem potest idem diffusus applicari.

CAPVT XV.

Corollaria, quibus ratio ab incommensurabilibus distinctis concluditur.

^{1.}
Corollarium
primum.

EX toto ergo hoc discursu concludo in primis, non posse dici consequenter in illa sententia de auxilio efficaci prædeterminante quòd ex parte Dei offeratur illis, quibus post sufficientem vocationem non datur. Probatur, quia si offeratur, certè per voluntatem Dei offeratur, & per aliquam legem, & promissionem: nam tale auxilium sicut non datur à Deo nisi liberè, & voluntariè, ita non nisi eadem libertate offerri potest: si ergo offeratur, per aliquam voluntatem offeratur. Aut ergo per voluntatem absolutam, aut per conditionatam, seu antecedentem. Non per absolutam, quia voluntas Dei absoluta semper impletur, & facit quod vult: si ergo tale auxilium offeratur, per

voluntatem absolutam datur; ergo è contrariò quibus non datur, neque etiam offeratur per voluntatem absolutam. Neque etiam offerri potest per conditionatam voluntatem. Quæritur enim quæ sit illa conditio, sub qua offeratur, oportet enim quòd sit conditio contingens, & dependens à libero vsu voluntatis, nam si esset conditio impossibilis, nulla, & ridicula esset obligatio, si necessaria transiret voluntas in absolutam; ergo esse debet conditio contingens, & non alitèr de quàm ex voluntate hominis, ergo esse debet pendens ab vsu libero voluntatis. At hoc dici non potest, quia ille vsus nec positius esse potest, nec negatiuus, vtique enim exclusus est, & ab eisdem auctoribus improbat, vt vidimus: ergo repugnantiæ sunt hæc duo, scilicet quòd Deus ex se offerat illud auxilium, & quòd non pendeat ex libero vsu recipientis positius, vel negatiuus.

Secundò infero, iuxta illam sententiam dici non posse hominem sufficienter vocatum ad fidem, verbo gratia, & carentem auxilio prædeterminante sua culpa, carere efficaci auxilio, propterea repetit Cumel disputatione quarta, sectione secunda, capite quinto prope finem, & alijs locis allegatis, & Aluar. supra à disputatione decima octava, numer. vigesimo dicit esse in potestate hominis impedire ne habeat illam motionem, & ideo quando non implet præceptum, ei imputari, eo quòd sua culpa se impediuit ne daretur ei auxilium efficax. Idem repetit disputatione vigesima sexta, numero vndecimo, & sæpe aliàs. Dico ergo hoc non dici consequenter in illa sententia, & probo ex proximè dictis, quia hæc culpa supponit quòd tale auxilium offeratur à Deo sub aliqua conditione, quam homo sua culpa non ponit. Et ideo Aluar. disputatione 61. ad septim. etiam ait offerre Deum omnibus auxilium efficax, & ex aliquorum culpa procedere quòd tale auxilium efficax non recipiant. Sed ostensum est, tale auxilium non offerri quibus non datur; ergo non caret illo sua culpa, sed quia Deus non vult dare. Item hæc culpa supponit quòd homo post vocationem sufficientem possit ponere obicem quo impediatur sibi dari tale auxilium, vt in his locis proximè citatis dicti auctores fatentur. Ostensum est autem nullum esse talem obicem, quia nec positius, neque negatiuus esse potest, etiam ex sententia illorum auctorum, vt ostendi; ergo falsa est assertio talis culpæ, & non consequenter asseritur. Item illa culpa supponit quòd tale auxilium pendeat ex aliqua dispositione libera recipientis. At hoc ipsum improbat dicti auctores, & merito, vt visum est, ergo dicere non possunt, quando non datur, ob culpam hominis non dari. Maior probatur, quia si aliqua culpa ibi intercedit, liberè committi debet: ex illa autem pendet quòd tale auxilium detur; ergo pendet ex libera dispositione recipientis. Sic effectus Sacramenti in adultis, ideo potest per culpam recipientis non recipi, quia pendet ex libera dispositione recipientis; in paruulis verò impediri non potest, quia à libera illorum dispositione non pendet.

Præterea interrogo, qualis sit illa culpa, aut enim est aliqua prior, propter quam Deus negat ad hoc auxilium efficax, vel est aliqua quæ specialiter reus committitur ponendo obicem, & impedimentum tum auxilio efficaci, vt non detur. In hoc enim ex quibus valde obscurè loquuntur dicti auctores, confusum est, quæ sunt quæstiones, quas supra distinximus, vt vna est de auxilio efficaci non dato antecedenter, vt sic dicam, seu in radice; quia non datur sufficiens. Altera est de auxilio efficaci non dato in se, & immediatè supposito iam sufficienter.